Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

differendo numquid hoc erit finaliter usquequo ꝑnciam
filij tui tamdiu desideratam abscondis a me
Quamdiu ponam consilia in anima mea tractans
et desiderans quando venias quamdiu hanc afflictionis
et inestimabilis anxietatis magnitudinem patiar conti-
nue ex dilacione adventus tui
Usquequo exaltabitur et gloriabitur inimicus meus
dyabolus super me quia totum genus humanum habeat
captivum respice mitte quem missurus es et exaudi me
cito ne dilacione diutina totus mundus captus erroribus
pereat domine deus meus cuius ego servus sum et
creatura
Illumina oculos meos lumine tue consolacionis ne
umquam obdormiam in morte mortalis culpe nequando dicat
insultando inimicus meus scilicet dyabolus prevalui adver-
sus eum
Qui tribulant me scilicet dyabolus et angeli eius exulta-
bunt si motus fuero a stabilitate fidei et a caritate tua
ego autem non in iusticia mea sed in misericordia tua speravi ab istis
tribulacionibus liberari
Non tamen speravit sed et Exultavit cor meum leticia in-
teriori in salutari tuo scilicet christo quem et si carnalibus oculis
non videam interioribus tamen oculis fidei intueor sal-
vatorem omnium esse venturum et ideo cantabo domino mente
et voce qui bona tamdiu desiderata et promissa certissime
tribuet michi et psallam bonis operibus ad laudem no-
minis tui altissime
Pꝭ 13 In quo propheta increpat iudeos qui veniente
christo non crediderunt
Populus Iudaicus